

omnino particulares respiciunt, nec satis de circumstantiis constat, adeo ut asseri possit, defuisse *violentam* mulieris abductionem. *In ipsa Gallia* (ait Scavini) *sententia docens, raptum seductionis inducere impedimentum dirimens matrimonium, quae iamdiu viguit, passim reicitur.*

671. — QUAER. 2<sup>o</sup> *An valeant sponsalia contracta, dum mulier rapta sub potestate raptoris versatur?*

*Resp.* Duplex datur sententia probabilis:

1<sup>a</sup> SENTENTIA *negat*, quia sponsalia libertatem requirunt, sicut ipsum matrimonium; lex enim poenalis extenditur, ubi eadem ratio militat. — Sanchez, Salmant., etc.

2<sup>a</sup> SENTENTIA *affirmat*, et hanc probabiliorem dicit S. Lig. cum La-croix, etc. Ratio autem huius sententiae est, quia sponsalia, utpote quae semper sunt rescindibilia, minorem libertatem, quam matrimonium, requirunt (99).

672. **Resolves.** — 1<sup>o</sup> Non contrahitur impedimentum, si mulier abducatur tantum de cubiculo in cubiculum in eadem domo, quia sic proprie non constituitur sub raptoris potestate; sed de domo in domum abduci debet.

2<sup>o</sup> Non contrahitur impedimentum, si mulier rapiatur alia de causa, praeter finem matrimonii ineundi, v. gr. ex fine libidinis explendae, etc.; quia Concilium hoc impedimento nihil aliud intendit, nisi libertati matrimonii favere.

3<sup>o</sup> Non incurritur impedimentum, si mulier rapiat virum, quia Concilium loquitur tantum de viro raptore.

4<sup>o</sup> Non incurritur impedimentum, si matrimonium contrahatur raptorem inter et raptam, postquam haec a potestate raptoris fuerit liberata. Ex *Tridentini* textu hoc clare apparet. — S. Lig. n. 1032. — Adnotat autem recte S. Lig. *ibid.*, durare hoc impedimentum *quandiu* mulier rapta est in potestate raptoris, etiamsi libere consentiat (100).

§. III. *De dispensatione ab impedimentis matrimonii dirimentibus.*

Agendum 1<sup>o</sup> de potestate dispensandi; 2<sup>o</sup> de causis dispensationis; 3<sup>o</sup> de modo dispensationem obtinendi.

PUNCTUM I. — *De potestate dispensandi.*

673. **Principia.** — I. Papa dispensare potest ab omnibus impedimentis iuris Ecclesiastici; 1<sup>o</sup> valide in omni casu, quia primarius Supe-

(99) Dubia tamen cum sit haec obligatio, confessarius eam urgere non potest.

(100) Ecclesia scilicet mulierem raptam quousque est in raptoris potestate, inha-

bilem ad contrahendum efficit; quocirca eius consensus, utcumque liberrimus supponatur, semper effectum vacuum existit.

rior est; 2<sup>o</sup> licite, si iusta de causa id faciat, prouti recta gubernatio requirit.

II. Episcopus dispensare nequit *ordinarie et iure proprio* in impedimentis dirimentibus. Ratio est, quia Episcopus nihil potest in communi Ecclesiae iure, nisi ex concessione Concilii vel Papae, aut ex legitima consuetudine. Episcopi autem ex nulla harum rationum ius dispensandi in talibus impedimentis sibi vindicare possunt, ut patet tum ex praxi Ecclesiae, tum ex variis Declarationibus *S. Congr.* et praesertim Pii VII. anno 1809. in Rescripto ad Episcopos Galliae; in quo Pontifex conqueritur, quod non omnes Galliae Episcopi ad S. Sedem recurrerint pro obtinendis facultatibus ad renovanda matrimonia tempore perturbationis Galliae invalide contracta (1).

674. **Quaesita.** — QUAER. 1<sup>o</sup> *An si sponsi sint diversae dioecesis, dispensatio obtinenda sit ab utroque Episcopo, si uterque ex indulto speciali facultate dispensandi gaudeat?*

*Resp.* *Controvertitur*, et duplex est sententia probabilis:

1<sup>a</sup> SENTENTIA *negat*. Ratio est, quia cum Episcopus aufert a suo subdito impedimentum, eum habilem reddit ad contrahendum cum alio impedito. Unus enim fieri nequit habilis ad contrahendum cum altero, nisi etiam iste fiat habilis ad contrahendum cum illo. Aliunde Papa, delegando Episcopum, ipsi totum ius suum tribuit; ergo valet dispensatio Episcopi perinde ac si a Papa ipso concederetur. Hanc opinionem probabilem dicit S. Lig. n. 1142. (2).

II<sup>a</sup> SENTENTIA *affirmat*. Ratio est, quia Episcopus unius iurisdictionem non habet in subditum alterius; facultas vero dispensandi ad proprios subditos restringitur.

675. — QUAER. 2<sup>o</sup> *An Episcopi dispensare possint in impedimentis dirimentibus dubiis?*

*Resp. Affirm. probabilius.* Ratio est, quia licet dispensatio impedimentorum dirimentium sit Papae reservata, attamen cum reservatio sit odiosa, stricte est interpretanda, et restringenda tantum ad casus certos. At si

(1) Olim nimirum plures Episcopi in Gallis, ex privilegio Sedi adnexo, in impedimentis dirimentibus dispensare solebant. Sed privilegia ista suppressa sunt cum ipsis sedibus in nova dioecesium circumscriptione a Pio VII. facta anno 1802 per Bullam *Qui Christi Domini* in qua haec habentur: *Supprimimus, annullamus, et perpetuo extinguimus titulum, dominationem, totumque statum*

*praesentem Ecclesiarum archiepiscopali-um, episcopali-um una cum respectivis earum capitulis, iuribus, privilegiis, et praerogativis cuiuscumque generis.*

(2) Cum probabile sit, non opus esse altera dispensatione licet sic contrahere ex generali principio, quod Ecclesia supplet, ubi opus forte fuerit.



agatur de dubio, seu de probabilitate iuris, inutilis videtur dispensatio, ex dictis supra de impedimentis in genere, cum in hoc casu Ecclesia censeatur supplere (3) (\*).

(3) Resolutio Auctoris, uti patet, eo desinit, ut in casu neque Pontificis, neque Episcopi dispensatio necessario sit requirenda.

(\*) Praeter hunc casum, concedunt Doctores, Episcopum dispensare posse in casu urgentissimae necessitatis *contrahendi* matrimonii, propter quam non suppetat tempus recurrendi ad s. Sedem. Id sane ex praesumpto vel tacito consensu s. Sedis communiter admittitur (Feye, *De Impedim. et dispensat.* n. 633.). S. Alph. l. 6. n. 1122. id se admittit dicit cum communi Doctorum et simpliciter loquitur de casu urgentis necessitatis, «puta, si alias imminet periculum mortis vel si matrimonium sit necessarium ad legitimandam prolem vel ad vitandam feminae infamiam, aut alia damna, vel si mulier honesta parata esset tali die contrahere et in confessione manifestaret impedimentum». Ita et l. 7. *De Privilegiis Episcoporum*, n. LVII. inquit: «Si matrimonium non adhuc sit contractum, *probabilissima* quoque adest sententia et est *communis*, quod possit tunc Episcopus dispensare in impedimento dirimente, quando imminet periculum infamiae et facilis non est recursus ad Pontificem. Ita Suarez, Pignatelli etc. cum Benedicto XIV. *De Syn.* l. 9. c. 1. n. 2. contra rigidissimum Fagnanum, qui id negat etiam in mortis periculo et in necessitate legitimandae prolis. Sed alii communiter dicunt, tunc praesumi aut quod Pontifex deleget Episcopo suam dispensandi facultatem vel quod in casu tantae necessitatis cesset dispensationis reservatio et quod tunc Episcopus dispense ex potestate sua ordinaria».

Id porro valet in impedimentis *occultis*; quia haec potestas data censetur ad scandala praecavenda, quae secus magis pro-

vocarentur (D'Annibale, vol. 3. ed. 3. n. 498.).

Addere nunc oportet decretum Supremae Inquis. ex mandato ss. D. N. Leonis XIII. 20. Febr. 1888. «De mandato ss. D. N. Leonis XIII. Supremae Congregationi s. R. et U. Inq. nuperrimis temporibus duplex quaestionum genus exponendum propositum fuit. Primum respicit facultates, quibus urgente mortis periculo, quando tempus non suppetat recurrendi ad s. Sedem, augere conveniat locorum Ordinarios dispensandi super impedimentis *publicis* matrimonium dirimentibus cum iis, qui iuxta civiles leges coniuncti aut alias in concubinato vivunt, ut morituri in tanta temporum angustia in facie Ecclesiae rite copulari et propriae conscientiae consulere valeant... Ad primum quod attinet, reserio diligenterque perpensa approbatoque et confirmato Emm. PP. una mecum Inquisitorum Generalium suffragio, Sanctitas sua benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant, sive per se sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam, aegrotos in periculo mortis constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad s. Sedem, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro Presbyteratus Ordine et Affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente. Mens autem est eiusdem Sanctitatis suae, ut, si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro subdiaconatus aut diaconatus ordine sunt insigniti vel sollemnem professionem religiosam emisissent atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis huiusmodi casibus, Ordinarii de impertita dispensatione supremam s. Officii Congregationem certiore faciant et interim omni ope curent, ut

QUAER. 3<sup>o</sup> *An Metropolitanus possit dispensare cum subditis suffraganeorum suorum in casu necessitatis, vel Indulti?*

*Resp. Neg.*, quia dispensatio est actus iurisdictionis voluntariae et gratiosae, et conceditur ex indulgentia et misericordia dispensantis; recursus autem ad Metropolitanum haberi nequit, nisi in materiis ad forum contentiosum pertinentibus. Ergo etc. (4).

#### PUNCTUM II. — *De causis dispensationis.*

676. — Causae, quae afferuntur ad dispensationem obtinendam, sunt 1<sup>o</sup> graves vel leves; 2<sup>o</sup> motivae seu finales, vel tantum impulsivae; 3<sup>o</sup> verae vel falsae. — Vide Tract. *de Legibus*, n. 117. et seq.

Si in petitione taceatur veritas necessario exprimens, v. gr. impedimentum aliquod aut circumstantia declaranda, etc., dicitur *subreptio*

scandalum, si quod adsit, eo meliori modo, quo fieri possit removeatur, cum inducendo eosdem, ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum, si id obtineri nequeat, iniungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutare poenitentias atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum».

«Porro 9. Ian. 1889. censuerunt Emm. PP. Inquisitores, supplicandum Sanctissimo, ut decernere et declarare dignetur, Ordinarios, quibus memorata facultas die 20. Febr. 1888. data fuit, posse illam subdelegare habitualiter parochis tantum, sed pro casibus, in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi et periculum sit in mora. Et eodem die ss. Pontifex benigne annuit iuxta Emm. PP. suffragium». Ita Cardinalis Monaco 1. Martii 1889. ad Episcopos scribens.

Hactenus de facultate Episc. dispensandi, cum matrimonium est contrahendum. Si vero sit *iam contractum*, Episcopi gaudent ordinaria potestate dispensandi in impedimentis occultis. Id certum

esse significat Benedictus XIV. *De Syn.* l. 9. c. 2. n. 1. his tamen sex concurrentibus conditionibus. 1<sup>o</sup> Matrimonium sit contractum in facie Ecclesiae omnibusque adhibitis sollemnitatibus ideoque et proclamationibus, nisi fuerit legitime dispensatum; 2<sup>o</sup> matrimonium contractum fuerit bona fide (saltem unius; s. Alph. 1124.) ex iuris aut facti ignorantia; 3<sup>o</sup> ut fuerit consummatum (quod sane solet praesumi); 4<sup>o</sup> ut impedimentum sit occultum; 5<sup>o</sup> ut non possit facile adiri S. Sedes ob coniugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam aliasque similes causas; 6<sup>o</sup> ut non possit separatio fieri sine scandalo. Talis porro potestas, sicut et altera memorata in casibus urgentissimae necessitatis pro contrahendis matrimoniis fit Episcopis, non eorum Vicariis: cum autem sit potestas pro iis casibus ordinaria, eam possunt Episcopi delegare (s. Alph. l. 6. n. 1125.).

(4) Si sermo sit de facultate dispensandi ex Pontificio indulto concessa, spectandum erit, qua verborum forma concipiatur, et exinde iudicandum, an ad solos subditos coarctetur.



in dispensatione, seu dispensatio *subreptitia*; si autem quid falsi effe-  
ratur ut verum, *obreptio*, seu dispensatio *obreptitia*.

Quando dispensationes dicuntur sine causa, hoc significat nullam adesse  
ex his causis, quae allegari solent ut canonicae.

677. **Principia.** — I. Ad *licitatem* dispensationis requiritur causa.  
Constat ex *Conc. Trid.* sess. 24. cap. 3. *de Reform. matr.*: *In matri-*  
*moniis contrahendis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque*  
*ex causa, et gratis concedatur.*

II. Ad *validitatem* dispensationis requiritur, ut in petitione nulla sit  
obreptio vel subreptio cadens in causam motivam seu finalem. Ratio est,  
quia Superior non censetur dispensare nisi sub tacita conditione, *si*  
*preces veritate nitantur.*

678. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *Quaenam sunt causae iustae, ut di-*  
*spensetur in impedimentis dirimentibus?*

*Resp.* Sunt sequentes: 1<sup>o</sup> *Angustia loci*, id est, si timeatur, ne ob  
loci angustiam, puella convenienter alteri non nubat: angustus autem  
reputatur omnis locus non habens 300 focos (\*); et hoc valet, licet sponsa  
domicilium alio sit translatura (5). 2<sup>o</sup> *Defectus dotis competentis*, quae  
alioquin puellae a consanguineo offertur, vel ab extraneo, sed ea condi-  
tione, ut consanguineo nubat. 3<sup>o</sup> *Aetas iam protracta seu superadulta*  
*feminae*, nempe quando iam 24<sup>um</sup> aetatis annum excedit, et alium  
virum suae conditionis, cui nubere possit, non invenit (6). 4<sup>o</sup> *Copula*  
*carnalis iam habita cum consanguinea, vel alia persona impedimento*  
*laborante, et periculum caeteroquin adest, ne infamia sequatur, etc.*  
5<sup>o</sup> *Nimia partium familiaritas*, ex qua timetur scandalum, nisi contra-  
hant. 6<sup>o</sup> *Legitimanda proles ex fornicatione nata aut concepta.* 7<sup>o</sup> *Seditio*  
*graviorum inimicitiarum, vel litis extinctio inter oratorum parentes,*  
*consanguineos vel affines.* 8<sup>o</sup> *Virtutes christianae, quae in altero viro*  
*probabiliter non invenirentur.* 9<sup>o</sup> *Excellentia meritorum erga Ecclesiam.*  
10<sup>o</sup> *Conservatio bonorum in illustri familia.* 11<sup>o</sup> *Larga eleemosyna in pia*

(\*) Paulo aliter, nempe cuius foci non  
sunt plusquam trecenti, sive cuius inco-  
larum numerus non excedit 1500. Haec  
est regula datariae eademque est cum di-  
scretione accipienda. Nam ut patet, duplex  
est seu duplici proposita modo, sive ex  
numero locorum sive ex numero incolarum  
sumpta: fieri vero potest et saepe usuvenit  
ut tercenti foci plures contineant quam  
1500. incolas, etiam bis mille. Cf. *De Iu-*  
*stis*, l. 3. c. 2.

(5) Facile quisque videt, causam dis-

pensandi hanc esse, quod *eo in loco* dif-  
ficile sit virum reperire, cui puella conve-  
nienter nubat; neque vero attenditur, an  
forte haec difficultas, sponsum alibi inqui-  
rendo, cessare queat, utpote quod infre-  
quens est, et a communibus moribus  
alienum.

(6) Quoad hoc non eadem est omnium  
locorum ratio. Alicubi enim puella, quae  
vigesimalium, aut etiam decimum octavum  
annum attigerit, ita superadulta habetur,  
ut aegre reperiat, cui nubat.

opera refundenda. 12<sup>o</sup> *Paupertas viduae filiis onustae, quos vir alere*  
*intendit et promittit* (\*).

Aliquando contingit ut una causa seorsim sumpta non sit sufficiens,  
sed cum altera iuncta gravis reputetur et proinde sufficiat.

Causae nunc admissae ut canonicae pro 2<sup>o</sup> et 3<sup>o</sup> gradu sunt, angustia  
loci, lites vitandae, copula habita, scandalum tollendum, et aetas super-  
adulta mulieris. — Bouvier (\*\*).

Suppressio veri, aut expressio falsi circa ea quae iure, consuetu-  
dine, aut stylo Curiae Romanae aperienda sunt, semper *substantialis*  
reputatur.

679. — **QUAER.** 2<sup>o</sup> *Quaenam sint necessario exprimenda de iure sub*  
*poena invaliditatis in petitione dispensationis?*

*Resp.* Sunt sequentia: 1<sup>o</sup> *Vera et legitima causa movens ad impe-*  
*trandam dispensationem.* 2<sup>o</sup> *Species etiam infima impedimentorum, v. gr.*  
*affinitas ex copula licita vel illicita; honestas ex sponsalibus, vel ex ma-*  
*trimonio rato.* 3<sup>o</sup> *Numerus impedimentorum, v. gr. si praeter cognatio-*  
*nem adsit etiam affinitas, vel si adsit duplex aut multiplex consanguinitas*  
*vel affinitas.* 4<sup>o</sup> *Filiatio aut compaternitas in cognatione spirituali.*  
5<sup>o</sup> *Gradus consanguinitatis vel affinitatis aut honestatis ex matrimonio*  
*rato; imo si oratores sint in linea inaequali, exprimi debet etiam gradus*  
*propior.* Hoc tamen non requiritur ad validitatem, nisi sint coniuncti in  
2<sup>o</sup> gradu attingente 1<sup>um</sup>. 6<sup>o</sup> *Copula incestuosa habita inter oratores, sive*  
*intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali in-*  
*tentione.* Evincitur ex Bulla Benedicti XIV. *Pastor bonus* (\*\*\*)... 7<sup>o</sup> *Variae*

(\*) Adde *periculum*, ne, dispensatione  
negata, *matrimonium civile dumtaxat*  
*contrahatur*: item *cessatio concubina-*  
*tus*, qui ex solo celebrato civili matri-  
monio *existet*.

(\*\*) Cf. Instructionem super hac re da-  
tam a s. C. P. F. 9. Maii 1877. et *Opus*  
*Th. Mor.* V. 6. n. 1366. seq.

(\*\*\*) Nunc decreto nuper edito a ss. D.  
N. Leone XIII. abrogata est lex, quae huius  
incestuosae copulae exprimendae obliga-  
tionem haec imponerebat. Omittimus  
bene longam notam a B. heic subiectam,  
quae forte decreto condendo vel eidem  
postulando occasionem dedit. Decretum  
est hoc.

« Infandum incestus flagitium peculiari  
semper odio sancta Dei Ecclesia prose-

cuta est et summi Romani Pontifices sta-  
tuerunt, ut qui eo sese temerare non eru-  
buissent, si ad Apostolicam Sedem con-  
fugerent petendae causa dispensationis  
super impedimentis matrimonium dirimen-  
tibus, eorum preces, nisi in eis de admissio  
seelere mentio facta esset, obreptionis et  
subreptionis vitio infectae haberentur  
atque ideo dispensatio esset invalida idque  
ea sanctissime de causa cautum fuit, ut  
ab hoc gravissimo crimine fideles arce-  
rentur ».

« Hanc s. Sedis mentem testantur tum  
alia documenta, tum decretum, quod no-  
vissime supremum S. R. et U. Inquisitio-  
nis Consilium, ipso adprobante Rom. Pon-  
tificae feria 6. die 1. Aug. 1866. tulit,  
quod est huiusmodi. — Subreptitias esse



*circumstantiae* matrimonii cum impedimento celebrati, scilicet an clandestine; an cum debitis proclamationibus; cum bona vel mala fide utriusque vel alterutrius tantum; an cum spe facilius dispensationem obtinendi; et an matrimonium fuerit consummatum.

680. — QUAER. 3<sup>o</sup> *Quid agendum in dubio, an causa falso allegata fuerit finalis aut impulsiva, vel an vera aut falsa?*

*Resp.* In omnibus his et similibus dubiis, valida censenda est dispensatio. Ratio est, quia in dubio standum est pro valore actus. — S. Lig. n. 1133.

QUAER. 4<sup>o</sup> *An cessante causa dispensationis, cesset dispensatio, v. gr. si mortua fuerit proles per matrimonium legitimanda, etc.?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Affirm.*, si causa cesset antequam dispensatio expediatur, aut

et nullibi ac nullo modo valere dispensationes, quae sive directe ab Apost. Sede sive ex pontificia delegatione super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis nec non publicae honestatis conceduntur, si sponsi, ante earundem dispensationem executionem, sive ante sive post earum impetrationem, incestus reatum patravissent et vel interrogati vel etiam non interrogati, malitiose vel etiam ignoranter retinuerint copulam incestuosam inter eos initam, sive publice ea nota sit sive etiam occulta, vel retinuerint consilium et intentionem, qua eandem copulam inierunt, ut dispensationem facilius assequerentur. — S. Poenitentiarum vestigiis insistens Supr. Inquis. id ipsum die 20. Iulii 1879. statuit ».

« Verum cum plurimi sacrorum Antistites, sive seorsim singuli sive coniunctim, s. Sedi retulerint maxima ea de causa oriri incommoda, cum ad matrimonialium dispensationum executionem proceditur et hisce praesertim miseris temporibus in fidelium perniciem non raro vergere, quod in eorum salutem sapienter inductum fuerat, S. S. D. N. Leo div. prov. Papa XIII., eorum postulationibus permotus, re diu ac mature perpensa ac suffragio adhaerens Emm. S. R. E. Cardinalium in universa christiana republica una

mecum Inquisitorum generalium, hasec litteras omnibus locorum Ordinariis dandas iussit, quibus eis notum fieret, decretum superius relatum S. R. et U. Inquis. et S. Poenit. et quicquid in eundem sensum alias declaratum, statutum aut stylo Curiae inductum fuerat, a se revocari, abrogari nulliusque roboris in posterum fore decerni simulque statui et declarari, dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas futuras, contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus ».

« Dum autem ob gravissima rationum momenta a pristino rigore haec super re SS. Pater benigne recedendum dicit, mens ipsius est, ut nihil de horrore, quod incestus crimen ingerere debet, ex fidelium mentibus detrahatur; imo vero summo studio excitandos vult animarum curatores aliosque, quibus fovendae inter christifideles morum honestatis cura demandata est, ut prudenter quidem, prout rei natura postulat, efficaciter tamen elaborent huic facinori insectando et fidelibus ab eodem, propositis poenis, quibus obnoxii fiunt, deterrendis ». — Litterae encycl. s. O. 25. Iun. 1885.

fiat ab Episcopo vel ab alio, cui a Pontifice commissa fuerit. — S. Lig. n. 1132.

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Neg.* si causa cesset, dispensatione iam expedita et a delegato supplicanti communicata, etiamsi cesset ante matrimonii celebrationem. Ratio est, quia per dispensationem iam impedimentum sublatum est. — S. Lig. ibid. — Vid. vol. I. not. ad n. 120.

681. — QUAER. 5<sup>o</sup> *Quid speciatim exponi debeat, quando agitur de matrimonio primum contrahendo?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Impedimentum, cuius dispensatio quaeritur, in sua propria specie exprimi debet, non unum pro alio, ne maius quidem pro minori, v. gr. consanguinitas pro affinitate. Ratio est, quia in dispensationibus non valet argumentum a maiori ad minus, nec Superior vult in eo dispensare, quod ignorat.

*Resp.* 2<sup>o</sup> Si postuletur dispensatio impedimenti ex commercio illicito, exponendum est, an ab uno vel utroque sub spe dispensationis facilius obtinendae commercium illud habitum sit.

682. QUAER. 6<sup>o</sup> *Quid in postulatione dispensationis super matrimonio invalide contracto generatim sit exprimendum?*

*Resp.* Exponendum est, 1<sup>o</sup> an ambae partes vel alterutra tantum bona vel mala fide, nempe cum notitia impedimenti matrimonium inierint; 2<sup>o</sup> an sub spe dispensationis facilius obtinendae; 3<sup>o</sup> an matrimonium consummaverint; 4<sup>o</sup> an clandestine aut in facie Ecclesiae, an post banorum denuntiationes, aut his omissis contraxerint. Facilius enim aut difficilius pro variis istis circumstantiis solet dispensatio impetrari.

Exinde si qui coram magistratu civili contraxerunt, ut inde facilius cum illis dispenseretur, illud exprimendum est, cum mala fides adfuerit, quae reddit dispensationem ad obtinendum difficiliorem. Si contraxerunt civiliter cum intentione non contrahendi coram Ecclesia, illud etiam exprimi debet, quia matrimonium clandestinum attentarunt. Si autem bona fide, et cum intentione dispensationem ab Ecclesia expostulandi civiliter contraxerunt, haec circumstantia non videtur absolute exprimenda, quamquam satius sit illam non omittere. — Bouvier.

683. — QUAER. 7<sup>o</sup> *An qui obtenta dispensatione ab impedimento AFFINITATIS ex copula illicita, v. gr. cum consanguinea sponsae, iterum cum eadem ante matrimonium peccat, nova indigeat dispensatione?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Neg.* si dispensatio nondum fuerit executioni mandata a delegato; quia tales dispensationes non sortiuntur effectum a die expeditionis, sed a tempore executionis. — Ita omnes.

*Resp.* 2<sup>o</sup> Imo *neg.*, etiamsi dispensatio executioni mandata fuerit. Ratio est, quia impedimentum affinitatis iam sublatum est per dispensationem quoad effectum contrahendi matrimonium. — Ita communiter contra aliquos.



Si autem, contracto matrimonio, rursus peccaverit cum eadem consanguinea uxoris, privatur iure petendi debitum, quia dispensatio iuxta stylum Curiae concessa fuit *ad effectum contrahendi matrimonium*, non vero ad liberius peccandum.

Indigeret vero nova dispensatione, si peccaret cum alia sponsae consanguinea ante matrimonium, etiam post expeditam dispensationem, quia nova affinitas contraheretur.

684. QUAER. 8<sup>o</sup> *An nova requiratur dispensatio, si obtenta dispensatione ab impedimento CONSANGUINITATIS, copula INCESTUOSA inter sponso intercesserit?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Affirm.*, si copula habita fuerit ante dispensationis executionem. Sic ex interpretatione communi, atque ex stylo Curiae Romanae huiusmodi incestus declarationem exigente; hoc enim manifestato, Pontifex maiorem supplicanti poenitentiam imponit. Confirmatur quoque ex Declaratione S. Congr. mense Maio 1634. — S. Lig. n. 1141. (\*)

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Neg.* vero, si habita fuerit copula post dispensationis executionem. Ratio est, quia concessa dispensatione, atque adeo ablata prohibitionem matrimonii, cessat etiam malitia incestus. — Constat etiam ex eadem S. Congr.

685. — QUAER. 9<sup>o</sup> *An nova requiratur pro consanguineis dispensatio, si post obtentam dispensationem copula ab eisdem iteretur?*

*Resp.* *Neg.*, quia incestus moraliter idem est, nec numerus copularum declarari debet, ut modo dictum est. Unde nova copula non invalidat dispensationem, sive habeatur ante eius expeditionem, sive post, sicut fuit resolutum supra de casu simili n. 683.; datur enim rationis paritas.

686. — QUAER. 10<sup>o</sup> *Si quis petat secundam dispensationem in eadem materia post primam alias obtentam, an primam exprimere debeat?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Affirm.*, si impedimentum contractum fuerit ex aliquo crimine. Ratio est, quia relapsus in idem crimen retrahit Superiorem a dispensando.

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Neg.*, si impedimentum non sit ex aliquo crimine vel ex crimine diverso. — Ita S. Lig. n. 1137., *et alii communiter.*

687. **RESOLVES.** — I<sup>a</sup> Invalida esset dispensatio, si exprimeretur in petitione affinitas pro consanguinitate, et viceversa, etc., etiamsi ex errore inculpabili id fieret. Superior enim concedit dispensationem iuxta exposita in supplicatione, quae cum de facto sint falsa, necessario nullam dispensationem efficiunt. Ex opposito valida esset dispensatio, si error inveniretur in Rescripto Pontificis, puta ex culpa amanuensis.

2<sup>o</sup> Invalida item esset dispensatio, si exprimeretur gradus tertius

(\*) Vi decreti S. Sedis in praec. nota descripti, patet hanc necessitatem esse sublatam.

pro secundo, aut quartus pro tertio; ratio, quia multo difficilius conceditur dispensatio pro gradu propinquiore, quam pro remotiore. Secus autem foret dicendum, si ex errore poneretur gradus tertius pro quarto; quia dispensatio *in maiori* continet dispensationem *in minori* eiusdem speciei. — *Ita communiter contra paucos.*

3<sup>o</sup> Non est necessarium dicere in petitione, quoties copula habita sit cum consanguinea uxoris; quia ex variis copulis exurgit unica affinitas; debet tamen exprimi copula habita cum pluribus uxoris consanguineis; quia ex iis tot diversae affinitates contrahuntur; et licet haec impedimenta non sint specie diversa, sunt tamen numero distincta. Manifestum est ex Declarat. Bened. XIV. — S. Lig. n. 1138.

4<sup>o</sup> Error in nomine vel cognomine oratorum, vel dioeceseos aut parochiae, probabiliter validitati dispensationis non officit, modo constet de corpore, id est de impedimento et causa. — Ita Sanchez, l. 8. d. 21. n. 37., *et alii communiter.*

### PUNCTUM III. — De modo dispensationem petendi.

688. — Ad concedendas dispensationes S. Sedis duo pro varia impedimentorum qualitate tribunalia, scilicet *Dataria* et *Poenitentiaria*, Romae constituta sunt.

I. *Dataria.* Ad Datariam recurrendum est pro omnibus impedimentis notoriis, aut quae in notitiam aliorum ventura praevidentur, aut quae sine infamia; scandalo, aliisque incommodis manifestari possunt.

II. *Poenitentiaria.* Ad S. Poenitentiarium recurrendum est pro dispensationibus et facultatibus, quae forum internum solum spectant, scilicet pro impedimentis occultis. In postulato autem, tacitis propriis sponsorum nominibus, ficta nomina apponuntur (7). (\*)

689. **QUAESITA.** — QUAER. 1<sup>o</sup> *Quomodo petenda sit dispensatio, si adsint duo impedimenta, quorum unum publicum sit, alterum occultum?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Si sint omnino *disparata*, recurrendum est ad Datariam pro publico, et ad Poenitentiarium pro occulto; nec necessarium est, ut mentio fiat apud unum tribunal de dispensatione ab altero tribunali postulata vel obtenta. Censentur autem *disparata* impedimenta, quando unum non augetur ex altero, ut v. gr. *consanguinitas* et *rotum*, aut *consanguinitas* et *machinatio*.

(7) In praesens tamen conceditur, ut libello (nam scripto petenda est dispensatio) doceat Instructio superius citata S. C. P. F. 9. Maii 1877. Cf. *Opus Th. Mor.* V. 6. n. 1381.

(\*) Quid exponendum sit in supplici